



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 162. Casimirus acceptato Poloniæ Regno coronatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Mediolanenses id ægerrime ferrent, eo-
 quod totam brevi regionem suam Hispa-
 norum colonis repleri pertimescerent.

Ita quidem Jovius factum enarrat: vero
 tamen similis est, quod nullus a Phi-
 lippo hæres constitutus fuerit, proin va-
 lidius præ reliquis jus in totam hæredi-
 tatem Duci Aurelianensi Valentina ejus
 Mater tribuere videbatur; Philippum
 enim hanc conditionem addidisse refe-
 runt Auctores, ut si absque liberis dece-
 deret, ipsius Valentinae Filii, legitimique
 successores toto Principatu potirentur.
 Ceterum hæc controversia fati arbitrio
 dirempta est, & Principatus, postquam
 Mediolanenses per plures annos a diver-
 sis, quæ imperium affectabant, factioni-
 bus acriter divexati fuerant, demum
 Francisci Sfortia Ducis dominio cessit:
 hinc uberrima novorum, gravissimorum-
 que motuum seges excrevit.

§. CLXII.

*Casimirus acceptato Poloniæ Regno
 coronatus.*

Casimirus post longas admodum pro-
 craftinationes, tandem Poloniæ co-
 ronam sibi dudum oblatam acceptabat,
 qua & die vigesima sexta Junii Craco-
 viae redimitus est. Altera post inaugu-
 rationem die, quæ ad recipiendum de
 more

sæcul. XV.
 A. C. 1447.

Sæcul. XV. A. C. 1447. more a subditis fidei Sacramentum præstituta erai, exorta est gravis controversia inter Episcopos, & Masoviorum Duces de loci prærogativa, quis eorum in publico confessu præcederet, dextrumque latus teneret, quo factum, ut eo die re omnino infecta recederent, negotiumque protraherent, donec tandem composita lite Duces Episcopis locum cedere consensissent. Postea placuit omnibus, ut Nicolao Papæ obedientia præstaretur; unde ad eum Legati fuere decreti, qui delato obsequio insuper quædam postulata Pontifici exponerent, quorum aliqua admisit Nicolaus, alia respuit. Petebant inter alia, ut pro sumptibus belli in Tartaros decem Florenorum millia a Clero exigendi facultatem Papa concederet, quod & impetrarunt. Cum autem præterea decimam decimæ partem postularent, necnon jus conferendi Beneficia, quæ in tota Polonia vacatura essent unacum pensione, sive denario S. Petri, in utroque petito repulsam passi sunt, id tantum eis concessum, ut nonaginta duntaxat beneficia, quæ alias de jure ad Papam pertinerent, quamprimum in Gnesnensi Provincia vacarent, conferre possent. His ita compositis, necdum tamen universitas Cracoviensis sua Nicolao Papæ obsequia detulit,

tulit, sed usque ad abdicationem Felici in fide Basileensium perstitit.

Sæcul. XV.
A. C. 1447.

§. CLXIII.

Laurentius Valla damnatus ut hæreticus.

Eodem anno Laurentius Valla Patricius Romanus, & Ecclesiæ ad S. Joannem in Laterano Canonicus Neapoli ab Inquisitoribus pro Hæretico damnatus est. Factum hoc Poggius prolixius enarrat, observans, Laurentium nonnisi beneficio Alphonsi Regis, quem latinas literas docuit, poenam ignis evasisse, nec tamen Regem auctoritate sua impetrare potuisse, quo minus virgis privatim & manibus post tergum ligatis per claustra monasterii Prædicatorum cæderetur. Idem Auctor Laurentium errasse innuit in Mysteriis fidei de Trinitate, libero arbitrio, & Virginitate Sanctimonialium, necnon ad tantam prolapsus fuisse temeritatem, ut magna illa Ecclesiæ luminaria, Augustinum & Hieronymum, Boetium, aliosque damnare non dubitaret. Quia vero Poggius cum præfato Canonico ob latini sermonis elegantiam acres fovebat similtates, ipsius testimonii fides merito suspecta esse videtur, præcipue cum alius modernus Scriptor totam hujus facti narrationem mere confictam esse